



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

17. Christophorum Bernardus indicit Comitia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1650.

Quo diplomate mox translato in Westphaliam ac per universam Diœcesin proclamato, tametsi Mallingcrotius sui tenax propositi nihilò minùs flectebatur, cæteri tamen subditi lubenter omnes parvère. Sub hæc *Christophorus Bernardus*, facturus initium administrationis suæ, Ordinibus Diœcesanis Monasterium comitia indicit. Et hi quidem statuto die stitère se frequentes, sed ad nutum Electi à conventu suo exclusère Mallingcrotium, ceu patriæ tranquillitatis turbatorem. Quam ipse contumeliam tantò molestius accepit, quantò ad id usq; tempus magis decorum pro munere Decani comitio præfedisce. Ne quid autem de jure suo remittere videretur, non semel aditum tentavit; sed fores aræ palatij Episcopalis continuò clausas offendit; quas cum etiam pedibus, manibùsq; pulsitans aperiri sibi acriùs aliquandò postularet, jussi respondère excubitores, nulli nunc eas patere publicæ quietis inimico. Quam ipse severitatem exaggerando conabatur nonnullos ex Ordine Equestri in commiserationem, partemq; trahere, sed frustra.

Nec etiam Romæ negotium illi ex sententiâ succedebat; quippe discusso jam non hebdomades, sed menses aliquot electionis actu, cum præter vespertinum illud Decano præterito conventiculum, novi

17.

A comitiis excluditur Mallingcrotius.

18.

Roma confirmatur Electio.

C 3

nihil